

+ R. P. Patritius J. Mulhall.
(Prov. Baltim)

† R. P. Patritius J. Mulhall.

(*Prov. Baltimor.*)

Die 22 augusti a. 1922 apud Aquas Saratogenses (*Saratoga Springs*) in statu Neo-Eboracensi Americae Borealis, ubi collegium provinciae Baltimorensis S. Clementis nostri sacrum exstat, ad caelum evolavit lectissimus et

ornatissimus S. Alphonsi filius, qui quamquam amplissimis functus erat Congregationis muneribus, tanta nihilominus eminebat simul animi humilitate, ut sese omnium longe minimum existimaret. Etsi per spatium triginta trium annorum in sinu Congregationis peractum omnium erat exemplar virtutum, in diuturno tamen, quo tenebatur, morbo morteque pretiosa maxime insignia praebuit sanctitatis exempla. Viventi ac morienti illi gemina erat tessera: « Ad maiorem Dei gloriam! » et « Fiat voluntas Dei! »



R. P. Patritius Mulhall natus est in urbe Neo-Eboraco die 19 novembris a. 1862. Adulescens viginti annorum a. 1882 munus admodum quaestuosum una cum optima spe proficiendi dimisit, ut inter alumnos iuvenatus nostri North-Eastiensis ascisceretur. Exacto quinquennio opera officiaque sacerdotis, praesertim confessarii, in posterum suscipienda adeo animum eius exercuciabant sollicitabantque, ut contra directoris consilium e collegio discesserit, quo tandem factum est, ut se in summam miseriam atque aerumnam coniectum sentiret. Postquam igitur vitam in saeculo egit pietate et poenitentia plenam lumen divinitus per biennium quaerens, iterum enixe rogavit, ut in Congregationem assumere-
retur, atque ad novitiatum admissus tales ac tantos illo probationis anno fecit progressus, ut cum communitas tum socii tironesque penitus obstupescerent. Die professionis religiosae 15 octobris 1889 novitiorum magister R. P. Petrus Zimmer, vir sanctimonia insignis, ei imagunculam donavit hisce verbis inscriptam: « Dicas frequenter: Non erubescam ea facere, quae edoctus sum in novitiatu ». Quam admonitionem numquam non fidelissime secutus ipso die obitus ingenio animi, cordis simplicitate, fervore mentis adhuc verus erat ac germanus novitius, qualis in novitiatu fuerat.

Observantia regularum, mortificatione, oratione, humilitate, miro paupertatis et obedientiae studio facile princeps erat inter omnes domus studiorum sodales professos. Progressus in studiis haud absimilis erat eius virtuti. Ordinibus sacris deinde auctus est die 14 iunii 1894 a Cardinali Gibbons, et secundae probationis curriculo absoluto ad missiones emissus est.

Vox eius grandis erat et plena, lingua expedita, argumentatio admodum firma; sed imprimis eius hortationes, miserationes, obsecrationes concitatae, fervidae, ardentes audientium animos commovebant ac durissimis peccatoribus fletum movebant. Nulla umquam fuit in orationibus eius sacris acerbitas asperitasve. Neque umquam de aeternis Dei suppliciis verba fecit voce triumphanti, sed contra semper miserationis plena, quod peccatores Deum iustitia potius quam misericordia uti cogere. Effectus eloquentiae eius magnas fidelium turmas confessionis causa ad eum trahebant,

quorum animos Passione Christi ante oculos proposita tam mirum in modum ad poenitentiam adducere solitus est, ut vix quemquam sine absolutione dimiserit. In missionibus eandem ac domi adhibuit paupertatem. Quoad poterat, victu utebatur asperrimo tenuissimoque, vinum numquam degustabat, ne numquam quidem umquam in ephemerides, commentarios, libellos aliave eius modi exigua usus quotidiani commoda sibi in longis crebrisque itineribus comparanda impendebat.

Ob valetudinem infirmam novitiatus Annapoli sito a. 1901 socius adscriptus est, ubi omni ope atque opera enitebatur, ut novitios animo, mente, spiritu S. P. Alphonsi imbueret. Verbo et exemplo eisdem magnum suum virtutis amorem, praesertim paupertatis et mortificationis, impertivit, sicque praestantissimum se praebeuit novitiorum magistro adiutorem. Sexennio Annapoli interiecto in ampliorem laborum campum ad templum B. M. V. de perpetuo succursu Bostoniae situm evocatus est, ubi pio fervore et facundia apostolica, maxime autem assidua aegrotorum cura omnium animos sibi conciliavit. Mirandum est profecto, quot moribundi ipsum in supremis vitae horis arcessiverint, semperque apud ipsos ad extremum usque spiritum permansit orans et imprimis preces, quas dicunt, iaculatorias cum eis fundens.

Anno 1909 factus est Rector collegii S. Clementis Saratogensis, in quo postea diem supremum obiit. Communitas ibi erat valde magna; nam praeter missionarios multi confratres aegrotantes propter caelum salubre ibi collocabantur. Qua in domo potissimum eius erga regulam amor elucebat. Collegium hoc re vera sedem Carthusianorum fecit. Exercitia quotidiana, officii divini recitatio, conventus domestici, silentium praescriptum, tempus studiis tribuendum diligentissime observabantur, in quibus rebus omnibus ipse praeclaro suo praeivit exemplo. Quamvis negotiis sive domus, sive fundi, sive communitatis, vel missionibus exercitiisque permultis disponendis detentus, numquam tamen ab ullo actu communi afuit, neque quemquam alium sine iusta causa abesse passus est. In regenda communitate lenis ac suavis fuit, at simul firmus et fortis. Ab omni hominum delectu ac discrimine seu acceptione personarum prorsus abhorruit, itemque a respectu, qui dicitur, humano omnino alienus fuit. Correxerat, ubi correctione opus erat, et penitus oderat quamlibet remissionem lenitatis, dissolutionem disciplinae, nimiam indulgentiam, quae nunc fere uno laxitatis nomine appellantur.

Hoc in collegio rursus largissime se diffundebat amor eius tenerimus erga aegrotos, quo incensus ipse necessitatibus eorum manibus suis operam dabat, apud eos morabatur, piis eos colloquiis consolabatur, lectionem piam cum eis instituebat, eorum gratia missam litabat eisque sacramenta administrabat. Nullis impensis pepercit fidem sodalibus aegris faciens fore, ut quodlibet levamentum vitae religiosae non contrarium ipsis suppedi-

taretur, etiamsi monente regula necesse esset ipsos e bibliotheca libros vendere. In hisce omnibus sibi imitandos proposuerat S. Alphonsum et S. Clementem, quos singulari veneratione colebat.

Sexennio in munere Rectoris collegii Saratogensis completo Superior vice-provinciae Torontinae creatus est, quae cum a. 1918 in provinciam commutata esset, primus eius Superior Provincialis factus est. Amplioribus ita facultatibus instructus fervoris fines terminosque sibi constituere nesciebat. Domos, licet inter se longe disiunctas, quotannis tamen visitavit omnes ubique cohortans, ut observantiam regularem caritatemque fraternam colerent, quarum ipse praestitit exemplum praeclarissimum. Missionariorum quasi quasdam turmas in multis domibus constituit et crebro missionum academias habuit, in quibus ipse Patres iuniores rite concionandi et instruendi rationem edocuit. Quos postquam saepe audiendo probavit, maxime idoneos elegit, ut missionarios seniores comitentur.

Maximo flagrabat desiderio novae provinciae iuvenatum providendi. Antehac adulescentuli in iuvenatibus provinciarum Baltimorensis et S. Ludovici humanitatis litterarumque studiis operam navabant. Iam vero in domum Brandonensem provinciae civilis Manitobae, postea in domum Mariopolitanam (*Montreal*) provinciae civilis Quebecensis eos congregavit. Sed numerus postulantium adeo crevit, ut in media provincia Torontina collegium magnum amplumque aedificare statuerit, quod omnes pueros Canadae anglice loquentes exciperet, qui in Congregationem nostram cooptari vellent. Cum loca, quae apta videbantur, non minus quam viginti perlustravisset, tandem oppidum *Brockville* elegit situ ad flumen S. Laurentii valde opportuno praeclarum. Mirandum certe est, quas vicissitudines pertulerit, quam longinqua itinera susceperit, quas defatigationes subierit, quantas vires insumpserit, quot precibus obsecrationibusque usus sit, qualem inopiam toleraverit, ut facultates, opes, pecunias conflaret ad novum aedificium necessarias. Multi huiusmodi aedificium censuerunt haud esse opportunum; multi alii obstupuerunt impensis huius operis moliendi oppressi, cum provincia in summa egestate versaretur. At ipse omnem fiduciam in Deo collocavit dicens, uti in omnibus operibus ac negotiis dicere solitus erat: « Ad maiorem Dei gloriam, ergo Deus providebit ». Incredibili gaudio cumulatus est, cum primarium lapidem positum conspexit. At, quod maxime dolendum erat, dum muros altius altiusque tolli intuetur, aegrotare coepit. Cum enim sui immemor aedificii construendi cura et vigilantia assidua omnium ventorum ac tempestatum periculis sese committeret, in mortiferum inde tabis morbum delapsus est. Per integrum fere biennium fortiter restitit. Parte dumtaxat aedificii absoluta adulescentulos accessere iam maturavit. Quorum adventus quanto ei fuit gaudio! Ut verus inter eos pater morabatur, cum vocationis gloriam eis saepe demonstraret

et adolescentulorum animos ad gratae memoriae sensus et ad perseverandi studium excitaret. Rationem quoque studiorum ipse instituit ac Patres ingeniosos fecit magistros. Viribus magis magisque deficientibus eo res deducta est, ut provincialatu se abdicaret et ad provinciam Baltimoreensem, a qua numquam re vera seiunctus erat, rediret. Maerore ac luctu sollemnes dedicationis collegii caerimoniae miscebantur, quippe quod parens eius longe abesset eique umbra mortis impenderet.

In collegio Saratogensi, ubi tum versabatur, Patritius noster corpore quidem fractus et infirmus, sed animo fervidior et ardentior quam umquam alias veram Divi patris Alphonsi imaginem referebat. Ecquis dinumerare poterit fructus, gratias, beneficia, in utramque provinciam ex perpeccionibus eius ac malis patienter toleratis effusa! S. Alphonsi instar multas horas quotidie in oratione, meditatione, pia lectione coram SS. Sacramento degebat. Saepe fulciri ac iuvari eum oportebat, cum ad sacellum iret et inde rediret. Fervore profecto seraphico hostiam sacram sanguinemque pretiosum Agni Divini immolabat, quamquam ad altaria stans vix ipse se sustentare poterat; et quamquam librum tenendi vires fere deerant, tamen officium recitabat. Rosarium diu noctuque manu tenebat. Lectulo affixus sodales ad amorem Jesu Christi et B. Mariae V. de perpetuo succursu hortabatur, quae ipsi fuerat in difficultatibus moderatrix, in aerumnis solatium, in rebus omnibus refugium et spes divinitus ad homines delata. Etiamtunc corporis suppliciis sese exeruciare voluit, quibus per omnem vitam se coërcere studuerat, ac flere solitus est, quod pro sua consuetudine iam cilicio uti, flagello verberari, ieiunia servare nequiret. Sola obedientia cogi potuit, ut paullulum vini pro medicamento adhiberet. Antea ne gustaverat quidem umquam ullam aliam potionem, quam appellant, alcoholicam. Laeto animo et oculis in imaginem B. Virginis Deiparae defixis acerbissimas ex morbo tusses continuas pertulit. Ad loquendum iam infirmiori sodales saepe votorum renovationem recitarunt atque ex libris S. Patris Alphonsi aliquid pii legerunt. Illud enim semper in ore habuit: « Libri S. Alphonsi unici sunt libri Redemptoristae. Eis omnia continentur ». Morte appropinquante sacrosanctum Victimae Divinae Sacrificium, cum illud ipse iam offerre non posset, singulis diebus in cubiculo eius fiebat, ubi multis cum lacrimis piisque suspiriis suavissimum Angelorum cibum capiebat, pios sanctosque sensus atque eum imitandi cupiditatem egregio exemplo in sodalium pectoribus excitans. Sicque hinc ad praemium demigravit sodalis noster carissimus ab utraque provincia defletus, sacerdos sanctissimus ac studio gloriae Dei salutisque hominum flagrantissimus, verus Redemptorista ad voluntatem mentemque S. Alphonsi Parentis plane conformatus. R. i. p.!